

DISSERTATIO QUINTA

DE CAPITE ECCLESIAE VISIBILI, ET PRIMO DE RATIONE
QUA PAPA UNIVERSAE ECCLESIAE PRAEFICITUR

389. De visibili Ecclesiae Capite dicturi, perpendemus : 1° rationem qua quis universae Ecclesiae praeficitur, 2° auctoritatem qua potitur.

Auctoritas autem Romani Pontificis, considerari potest : 1° in ordine ad universum Ecclesiae corpus, 2° in ordine ad caeteros Papae adjutores in Ecclesiae regimine.

De auctoritate Romani Pontificis in ordine ad universum Ecclesiae corpus, duo sunt investiganda : 1° vis et extensio primatus, 2° infallibilitas.

Adjutores Romani Pontificis, in Ecclesiae regimine, spectari possunt, vel extra Concilium generale, vel in Concilio generali.

Hinc, post praesentem *quintam* dissertationem, in qua tractabitur de ratione ob quam praeficitur aliquis universae Ecclesiae, *sexta* erit de vi et extensione primatus in ordine ad universum Ecclesiae corpus, *septima* de infallibilitate Papali, *octava* de auctoritate Papae relative ad caeteros ejus adjutores extra Concilium generale, *nona* de eadem auctoritate relative ad Concilium generale, cui *decima*, per modum appendix, adjicietur de principatu temporali Romani Pontificis.

Circa rationem qua Papa universae Ecclesiae praeficitur, quaeruntur tria.

QUAESTIO I^a

An conveniens fuerit, ut Primatus super universam Ecclesiam alicui Sedi episcopali determinatae, et quidem Romanae, alligaretur ?

390. Resp. *affirmative*.

Cum enim B. Petrus habere debeat perpetuos primatus sui haeredes, nec voluerit Christus illos per miraculum designare, necessarium est, vel primatum hunc alicui Sedi determinatae fuisse alligatum, vel universalem Ecclesiam successorem B. Petri designare. Atqui posterius repugnat ex duplici capite praesertim :

1^a *repugnantia* : Oportet ut Ecclesia Caput suum facile, prompte et clare habeat et cognoscat. Sed ad hunc finem non conducet electio ab universis mundi pastoribus facienda. Certe episcopi per orbem dispersi non possunt suffragium suum facile, prompte ac prudenter dare ; sed neque semper in concilium convocari queunt ; quanto minus ubi, post breve temporis intervallum, decedit Papa recenter electus, ut quandoque accidit.

2^a *repugnantia* : Posito quod Primatus certae Sedi non alligaretur, Ecclesia ad hanc dignitatem eligere poterit, modo unius Sedis episcopum, modo alterius. Episcopus autem in Papam semel electus, non tenebitur Sedem suam mutare, et inde centrum unitatis in Ecclesia non erit fixum et invariabile, sed de loco in locum transmigrabit. Jam vero, in hac hypothesisi, non sufficienter providebitur bono regimini Ecclesiae. Ad bonum enim Ecclesiae regimen necesse est, a) ut

ipsius Rector sub manu habeat omnia documenta ad suorum Praedecessorum administrationem spectantia; b) — ut ad eum adjuvandum praesto adsint variae Congregationes, necnon sui consilarii; c) — ut pastores et fideles relationem cum suo Capite habeant uniformem, facilem et obviam. Atqui haec omnia non obtinebuntur sine fixa Sedis primatialis stabilitate. Ergo moraliter fuit necessarium ut primatus Ecclesiae alicui Sedi certae ac determinatae alligaretur.

Patet insuper convenientissimam fuisse Sedis Romanae electionem, sive ob urbis praestantiam, sive propter ejus in centro nationum catholicarum positionem, sive quia ejus aditus omnibus facilis et obvius est.

QUAESTIO II^a

Quomodo constet B. Petrum Romam venisse, et illius urbis episcopatum tenuisse ad usque mortem?

(Vide Bouix : *de Papa: pars 2, sect. 2, cap. 4, 5, 6, 7.*
— Knoll : *Theol. gen.*, § 259...., 262. — *Le Pape*, par un directeur du grand Sém. Liv. II, ch. 2.)

391. Resp. Illa quaestio, quam reperire est apud historicos fusius disputatam, sic brevi compendio contrahitur :

Factum de quo agitur testantur 1° documenta scripta vetustissima; 2° monumenta publica; 3° pacificatius orbis christiani persuasio. Atqui ex hisce testimoniis, praedicti facti veritas necessario concluditur. Ergo...

Prob. major.

1° Documenta scripta vetustissima factum illud testantur. Afferuntur enim, inter auctores primi saeculi, S. Papias, S. Clemens Papa, S. Ignatius Antiochenus;

inter auctores secundi saeculi, S. Dionysius episcopus Corinthi, S. Irenaeus; inter auctores tertii saeculi, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, S. Cyprianus; inter auctores quarti saeculi, Arnobius, S. Epiphanius, Eusebius Caesariensis, S. Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Optatus, Orosius, Theodoretus. Qui omnes, aut expresse asserunt, aut clare supponunt factum. Varii autem catalogi Romanorum Pontificum olim exhibiti constanter exordiuntur a B. Petro.

2° Hisce documentis consonat vox monumentorum. Sic Caius presbyter Romanus, sub Papa Zephirino in secundo saeculo, affirmat sepulera SS. Petri et Pauli in urbe Roma cunctis esse obvia. Et revera semper, labentibus saeculis, efferbuit fidelium devotio erga reliquias illorum duorum Apostolorum Romae expositas. In eadem urbe reperiuntur nummi, imagines, sculpturae quae ad factum illud referuntur. Item, a tempore immemoriali, celebratum est in universa Ecclesia festum Cathedrae Petri qua Romae sedit, et omnes mundi ecclesiae, etiam Orientales, vocare assueverunt Romam *limina Apostolorum Petri et Pauli*.

3° Afferitur demum pacifica totius orbis christiani persuasio, per duodecim priora saecula. Etenim, ante saeculum XIII, nullum habetur vestigium contradictionis, qua vis praefatorum testimoniorum infirmari tentaretur. Primi factum impugnaverunt Valdenses, et postea, in saeculo XIV, Marsilius Paduanus, sed absque successu et ex levissimis conjecturis. Dein novatores saeculi XVI haesitanter de hoc scripserunt, et Protestantes hodierni, inter caeteros commendatissimi, illud confiteri coacti sunt. Ergo constat *major*.

Prob. minor, id est :

Ex allatis testimoniis, veritas facti de quo agitur necessario concludenda est.

Factum enim de quo agitur respondet huic duplici quaestioni : 1° quinam fuerit primus urbis Romae episcopus ? 2° Utrum B. Petrus aliquam Sedem episcopalem et quamnam tenuerit ? Jam vero, solutio duplicis illius quaestionis non potuit per duodecim priora saecula ignorari. Cognoscuntur primi urbium mundi praecipuarum episcopi ; quomodo ergo auctores priorum saeculorum latere potuerit quinam fuerit primus urbis Romae, inter omnes mundi urbes praestantissimae, antistes ? At multo minus licuit ignorare utrum B. Petrus alicubi Sedem suam fixerit et ubinam fixerit. Factum enim illud erat maximi momenti, cognitum facillimum, et quod Christianorum coaevorum attentionem provocare debuit. Cum enim B. Petrus esset Apostolorum princeps, primas Ecclesiae, et centrum unitatis cui omnes fideles et pastores communicare tenebantur, et ad quem de variis mundi partibus passim recurrebatur, de ipsius sorte omnes profecto, praesertim episcopi, solliciti esse debuerunt.

His autem positis, si revera primus urbis Romae episcopus alius fuit ac Apostolorum princeps, si revera B. Petrus aut aliam Sedem ac Romanam, aut nullam tenuerit, prorsus repugnat, et tot auctores primorum saeculorum contrarium affirmasse, et publica monumenta illorum testimonium confirmare, et illis consentaneam fuisse duodecim priorum saeculorum persuasionem, ita ut nulla in contrarium insurrexerit reclamatio. Ad hanc quippe reclamationem potenter et efficaciter incitati fuissent, alii ex amore veritatis,

alii ex odio Apostolicae Sedis a qua damnati fuerant, alii ex ambitione et aemulatione, uti tot praesules in Orientis, praesertim Byzantiae, partibus. Quomodo igitur harumce reclamationum nullum superfuerit in tota antiquitate vestigium ?

392. *Confirmatur conclusio* ex vanitate eorum quae ab adversariis objiciuntur.

Objiciunt enim 1° silentium B. Pauli in Epistola ad Romanos ; 2° silentium S. Lucae qui, in Actibus Apostolorum, referens iter B. Pauli ad Romam, nihil de B. Petro profert ; 3° silentium Josephi historici qui historiam suam sub Nerone concinnavit, et de SS. Petri et Pauli martyrio tacet.

Atqui haec sunt argumenta mere negativa, quae positivis tanti numeri et ponderis haud possunt prevalere. Insuper silentium S. Pauli, S. Lucae, et Josephi facile explicatur :

Ad 1. resp. B. Paulus scribens ad Corinthios, ad Ephesios, ab Galatas, ad Thessalonicenses, eorum episcopos non salutatur ; indene concludes illos episcopos non extitisse ? Praeterea, non repugnat B. Petrum a Roma abfuisse quando B. Paulus scripsit, aut specialem a Paulo epistolam accepisse.

Ad 2. S. Lucas solius Pauli gesta referre sibi proposuerat ; vel etiam fieri potest tunc temporis B. Petrum fuisse absentem, quando Romam S. Paulus advenit.

Ad 3. Josephus martyrium SS. Petri et Pauli tacere potuit ex invidia contra Christianos. De caetero, in Libro II *De bello Judaico*, asserit se Neronis scelera praeteriisse, ne imperatoribus displiceret.

QUAESTIO III^a

Utrum sit de jure divino, quod Romanus Pontifex potius quam alius obtineat jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam ?

(Vide Mazella : *De Rel. et Eccl.*, n° 941-947. — Bellarm : *De Rom. Pont.*, l. 2, c. 22. — Palmieri : *De Rom. Pont.*, thes. 9, 10. — Bouix : *De Papa*, pars I, sect. 3, 6, 13.)

393. Resp. Certum est Romanum Pontificem non ab Ecclesia, sed a Christo, ac proinde divino jure habere primatum. Est enim Romanus Pontifex successor B. Petri, et de jure divino est quod primatus B. Petri ad ejus successores in perpetuum transeat. Hoc ipsum significat conc. Vatic. dicens (sess. IV. Const. *Pastor aeternus*, c. 2) : « Quicumque in hac « Cathedra Petro succedit, is, secundum Christi ipsius « institutionem, primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. »

Utrum vero de jure divino sit, quod Romanus Pontifex potius quam alius constituatur successor B. Petri in primatu, olim disputatum est.

Veteres quidam theologi putarunt annexionem primatus Sedi Romanae, sola Petri auctoritate esse factam, adeoque in potestate Summi Pontificis situm esse disjungere primatum ab episcopatu Romano.

Communissima tamen sententia hodie docet annexionem hanc esse juris divini, et ad hoc explicandum duplex adest opinio. Juxta quosdam, ipsemet Christus hanc Sedem eligendam Petro mandavit, et ita sentit major pars theologorum. Juxta alios, Christus Romam

quidem non designavit, sed statuit hunc episcopum et hunc solum, futurum esse Petri successorem in primatu, qui eligeretur in episcopatum quem Petrus elegeret, et quem tenens moreretur. Ita Benedictus XIV, Perronius, etc. In utraque explicatione, nullus unquam alius, praeter Romanum Pontificem, potest habere primatum.

Quam ultimam controversiam praetermittentes, sic probamus communissimam theologorum recentiorum, contra veteres quosdam, sententiam :

1° Monumenta traditionis ecclesiasticae passim Pontifici Romano, modo indefinito et sine temporis limitatione, tribuunt primatus divinitus instituti praerogativam. Sic, v. g., concilium Florentinum declarat « Romanum Pontificem ipsum... successorem esse « B. Petri » ; et conc. Vatic. (Sess. IV, c. 2.) definit. « Si quis dixerit... Romanum Pontificem non esse « B. Petri in eodem primatu successorem, anathema « sit... » At, juxta adversarios, non repugnat primatum B. Petri ad aliam transferri Sedem ; quo in casu, jam praefatae definitiones non essent verae.

2° Si non repugnaret transferri primatum a Romana Sede ad aliam, haec possibilitas in veteribus monumentis innueretur saltem, et in quibusdam adjunctis, de hac perpetranda translatione, ubi urgebant gravissimae rationes, cogitatum fuisset. Atqui 1° nihil de ejus possibilitate in veteribus monumentis innuitur ; 2° nunquam de illa translatione, non obstantibus gravissimis causis illam suadentibus, cogitatum est : neque tribus prioribus saeculis, dum persecutio Romae potissimum saeviret ; neque quando Constantinopolis facta est imperii caput ; neque quum

Romani Pontifices exulare cogentur, propter vexationes, dissidia, publicasque Italiae perturbationes; neque hanc unquam proposuerunt tot haeretici et schismatici quos Romanus Pontifex damnaverat. Undenam ergo ortum duxerit tam constans, tam universalis amicorum et inimicorum persuasio de nexu inter Primatum et Romanam Sedem indissolubili, nisi ex persuasione talem nexum esse divinitus statutum?

3^o Affertur etiam damnatio sequentis propositionis 35^{ae}, a Pio IX, in Encycl. *Quanta cura*: « Nihil vetat alicujus concilii generalis sententia aut universorum alicujus populorum facto, summum Pontificatum ab Romano episcopo atque Urbe, ad alium episcopum aliamque civitatem transferri. » Cujus propositionis in sensu obvio sumptae damnatio probat nullam auctoritatem, nequidem concilii generalis, posse summum Pontificatum ab episcopatu Romano dissociare. Ergo obstat jus divinum. At, nonnulli theologi observant hac damnatione non certo dirimi controversiam. Etenim certum non est nomine concilii generalis, in dicta propositione, venire concilium a Papa confirmatum. Propositio quippe desumitur ex libris Nuytzii, qui renovat errores Febroniariorum et Jansenistarum. Febronius vero et Jansenistae, disserentes de auctoritate conciliorum generalium, passim loquuntur de conciliis sejunctim a Papa consideratis. Quidquid sit, aliae probationes sufficiunt.

Quaerenti autem quid fieret, si Urbs Roma destrueretur, aut totaliter ab Infidelibus occuparetur, respondendum est, vel id Deum nunquam permissurum esse; vel, si permetteret, Papam nihilominus servaturum esse titulum episcopi Romani.

DISSERTATIO SEXTA

DE VI ET EXTENSIONE AUCTORITATIS ROMANI PONTIFICIS
IN ORDINE AD UNIVERSUM ECCLESIAE CORPUS

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 948... 977. —
Bouix : *de Papa*, pars 5. t. 3. p. 309... 330.)

394. Ut vis et extensio papalis auctoritatis bene introspectatur, primum explanandae sunt breviter ejus praecipuae dotes; dein, exponenda varia Romani Pontificis jura, tum circa personas, tum circa res ecclesiasticas spirituales et temporales, tum circa judicia ecclesiastica. Ex quibus concludendum erit, Papam esse verum monarcham, centrumque catholicae unitatis: quae omnia octo quaestionibus absolventur.

QUAESTIO I^a

Utrum Romani Pontificis auctoritas in universam Ecclesiam, dicenda sit episcopalis, ordinaria atque immediata?

395. **Resp.** Illos omittimus qui, negantes Primatum juris divini, contendunt Romanum Pontificem non habere nisi auctoritatem ab Ecclesia delegatam et ministerialem; jam enim superius confutati sunt. Sed nonnulli, concedentes Papam a Christo immediate suam accipere jurisdictionem, addunt hanc non esse episcopalem, ordinariam ac immediatam, nisi in dioecesi Romana. Sicut enim Metropolitanus fidelium qui in sua provincia degunt, sed extra suam dioecesim, non est vere episcopus, nec ideo superior ordinarius